



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enarratio Epistolæ Prioris Ad Timothevm, Et Dvorvm Capitum secundæ

Melanchthon, Philipp

Vitebergæ, 1561

VD16 M 3167

Multi deficient à fide.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36308

I. EPISTOLA AD

dalis turbati existimemus nullam esse Dei Ecclesiam, sed sciamus inter has ipsas confusiones tamen aliquam esse ueram Ecclesiam, & discamus ubi quaerenda sit, & nos ei adiungamus, & in ea uerum Deum in uera agnitione Domini nostri Iesu Christi firma fide & spe inuocemus, & statuamus promissiones nobis ratas esse, & semper nos consolemur hoc articulo, Credo Ecclesiam sanctam Catholicam. Item Matth: 28. Ego uiscum sum usq; ad consummationem seculi. Item 1. Cor: 11. Hoc facite donec ueniat.

Multi deficient à fide.

Necessaria diligentia est considerare discrimina professionum in genere humano, Ethnicus Iudaei, Mahometista palam profitentur se esse discipulos Christi & Euangelij, Et palam reijciunt symbola. Hi facile agnosci possunt. Sint autem praesentium aduersus hos munita pectora, sicut aduersus Ethnicos uetustas collegit multas refutationes quas cogitare utile est.

Prima autem & maximè illustris confirmatio est Ecclesiae miracula inimitabilia creaturae quae testantur hanc doctrinam à Deo traditam esse, ut resuscitatio mortuorum, repressio curis solis, partus in effocata aetate, eductio ex Aegypto.

Hæc testimonia uult nos Deus intueri, quia ideo facta & scripta sunt, ut sint testimonia, item ut agnoscamus hunc uerè esse Deum, qui se his testimonijs patefecit, & discernamus eum ab omnibus commentitijs numinibus, Sicut in primo præcepto allegat patefactionem, Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de Ægypto.

Etsi autem non fiunt similia quotidie, Tamen facta illa multis nota fuerunt, & à fide dignis recitantur, Præterea nunquam Ecclesia caret miraculis, etiamsi non pariter incurrunt in oculos, Et perpetuum miraculum est, conseruatio & instauratio Ecclesiæ & ministerij Euangelici, quòd toties delere conati sunt immani rabie plurimi reges & mali Doctores. Cæteræ sectæ etiamsi aliquandiu durauerunt, tamen oppresse non instaurantur.

Secunda confirmatio est, Antiquitas nostræ doctrinæ, Cum enim consentaneum sit Deum se patefecisse generi humano & nulla extet doctrina de patefactione antiquior, imò ne quidem sciri possit unde, per quos, quo tempore, Ethnicæ religiones traditæ sunt, Fatendum est hanc antiquissimam præ cæteris amplectendam esse. Ac utile est conferre historias & signa antiquitatis obseruare.

Tertia confirmatio firma est, uaticinia de regnis

I. EPISTOLA AD

gnis, quæ cum euentus ostenderit uera esse, manifestum est utrunq; & à Deo regi genus humanum, & hanc doctrinam à Deo esse.

Quarta collatio doctrinarum Ethnici tantum docent Legem, & quidem corrumpunt, quia multa portentosa & abominanda fingunt de Idolis, & tetras libidines permittunt, Postea Ethnici de remissione peccatorum, de causis calamitatum in genere humano nihil certi dicunt, Manifestum est igitur eorum doctrinam insufficientem esse, & non ostendere liberationem à malis, Hanc collationem cogitare utile est, quia ostendit generaliter doctrinarum, discrimen Legis & Euangelij.

Quinta Spiritus sanctus in uera consolatione uiuificans corda ostendit Euangelij ueritatem & efficaciam, sicut Dominus inquit Ioan: 16. Cum ueniet Spiritus ueritatis ducet uos in omnem ueritatem, & Roman: 8. Spiritus sanctus dat testimonium Spiritui nostro, quod simus filij Dei. Ita Adam habuit testimonia externa & interiora. Foris audiebat uocem diuinam, intus sentiebat se ex morte liberari & uiuificari.

Hæ causæ de discrimine Ethnicorum & Ecclesie sepe & attentè considerandæ sunt.

Facilius est refutare Iudeos pugnantes contra Ecclesiam, qui profitentur se assentiri Prophetis. Ex his enim conuinci possunt, Apostolorum &

Strinam cum Prophetica congruere, Dissentiunt autem Iudæi à nobis de Messia, quem negant esse filium Dei coeternum, negant Passionem, negant eum dare iusticiam & uitam aeternam, contendunt regnum politicum habiturum esse &c. Hi præcipui errores refutari & Prophetarum testimonijs perspicuè possunt.

Mahometista parum differunt ab impijs Iudæis, neq; tamen recipiunt Prophetas, sed refutari possunt à circumstantia temporis. Cum enim Ecclesia fuerit initio, dogma autem Mahometi recens sit natum post Apostolos, circiter annuum sexcentiesimum, & pugnet cum Prophetis & Apostolis, impossibile est Mahometistas esse Ecclesiam Dei. Nihil autem continet doctrina Mahometi nisi particulam Legis de operibus externis, Deinde addit blasphemias contra filium Dei, & contra Spiritum sanctum, Et supersticiosos quosdam ritus & stultas satisfactiones pro delictis, ita totum Euangelium reijciunt Mahometista et corrumpunt Legem.

Dixi de Ethnicis, Iudæis & Mahometistis, ubi de singulis considerandum est unde sumantur refutationes. Iam dicam de his quos Paulus nominat deficientes à fide, Horum duo genera sunt. Alij aperte negant articulum aliquem Symboli, ut Manichæi posuerunt duo principia coæterna,

I. EPISTOLA AD

Bonum & Malum. Arius negavit filium Dei esse
 ὁμοῦσίου eterno patri, Macedonius contendit
 Spiritum sanctum tantum esse motum creatum in
 Angelis & in hominum cordibus, Aliqui negave-
 runt corpora hominum resurrectura esse. Tales
 palam delentes articulum aliquem Symboli faci-
 le agnosci possunt, & refutandi sunt ex testimo-
 nijs Prophetiis & Apostolicis, cum adhuc uideri
 uelint assentiri Prophetis & Apostolis.

Alij non ita palam delent articulos fidei, Sed
 occulte eos corrumpunt interpretationibus, quæ
 dissentiunt ab ipsis articulis Symboli, ut Papa &
 Monachi retinent uerba Symboli, & tamen quibus-
 dam articulis addunt falsas interpretationes
 cum Euangelio pugnantes, ut nominatim his duo-
 bus articulis, Credo remissionem peccatorum,
 Item Credo esse Ecclesiam sanctam Catholicam.
 Corrumpunt enim articulum, Credo remissionem
 peccatorum, quia addunt interpretationem, Cre-
 do remissionem alijs dari, non mihi. Item Non
 credo remissionem, sed dubito. Non credo gratiam
 dari propter filium Dei, sed dari propter meritum
 sufficientia, propter sufficientem contritionem
 & alia opera. Item propter satisfactiones. Hæ
 additiones pugnant cum Euangelio enarrante
 totum articulum, Credo remissionem peccatorum.

Alterius articuli de Ecclesia corruptela est

am pernicioſe ſunt, quia fingunt Eccleſiam eſſe regnum politicum, in quo dominari oporteat Episcopos, & condere dogmata & cultus, & horum decretorum obſervationem eſſe iuſticiam coram Deo. Hac hypotheſi poſita procedunt Episcopi longius, conſtituunt idola, & ferunt leges ſue potentie, ſuis opibus accommodatas, ut Legem de coniugio, Poſtea ui corporali cogunt homines, ut obtemperent, Sicut Nabuchodonosor coegit ſuas gentes, ut ſtatuum colerent.

Ita utriuſq; articuli corruptela abducunt mentes ab agnitione mediatoris, & extinguunt lucem Euangelij de remiſſione peccatorum, de fide, de interiore cultu, de uera inuocatione, & abſtrahunt homines ad idola. Maniſteſtum eſt igitur eos qui amplectuntur tales corruptelas deficere à fide. Hæc ſiunt illuſtria conſideratis exemplis omnium temporum.

Semper cum diſceſſum eſt à Verbo Dei iniſtijs errorum, quæ primum exigua uidebantur paulatim acceſſerunt tetra idola, ut in Iſraël proceſſit impietas ad humanas hoſtias & ad obſcœna idola, in Papatu maniſteſta idola ſunt inuocationes mortuorum, concurſus ad ſtatuas, circumgeſtatio panis, & multæ prophanationes in Cœna Domini, Et maniſteſta turpitudine eſt in Lege cœlibatus.

I. EPISTOLA AD

De his furoribus præmonet Ecclesiam Paulus, & duo signa expressè ponit, prohibitionem coniugij, & discrimina ciborum. Sciamus igitur non esse Ecclesiam Dei defensores talium errorum, Et hoc Pauli testimonio confirmemus nos, ut sciamus rectè taxari errores illos, & Ecclesiam Dei esse coetum, qui uocem Euangelij incorruptam amplectitur, & improbat illos errores. Caterum de traditionibus & de coniugio alibi doctrina integrè tradita est.

Omnis creatura Dei bona est.

Opponit regulam fanaticis spiritibus, qui damnant coniugium, cibos, ordinem politicum, distinctionem dominiorum, iudicia. Semper enim multi fuerunt sunt & erunt tales hypocrite, ut olim Marcion, Tatianus, Manichæi, Papi Monachi, & nunc Anabaptista, qui de distinctione dominiorum sic argumentantur. Nemo licet appetere alienum. Omnes res extra spiritum sunt alienæ, ergo non licet appetere illas tales res ut facultates.

Respondeo, Maior uera est de alieno quædam politica distinctione dominiorum pertinet ad alterius dominium, iuxta illud, Non concupiscas alterius uxorem, neq; res alterius. Minor est falsum, ut, manifestum est propria uxor est res extra spiritum